



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Sensus decori & turpis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40701**



sa cupiditatis. Denique *Serm. 32. c. 14. Si volumus, inquit, bene vivere, plus amemus, quod promittit Deus, quàm quod promittit hic Mundus: & plus timeamus, quod minatur Deus, quàm quod minatur hic Mundus.* Igitur spes præmii, & timor supplicii à Deo infligendi sunt actus honesti, etiamsi ex motivo charitatis theologice non procedant.

## CAPUT IV.

*De Conscientia.*

89.  
Sen-  
sus  
deco-  
ri.

**I**nter ceteros sensus internos esse in nobis *sensum honesti, & decori*, qui veluti pro tribunali sedens exercet iudicium in omnia, quæ agunt homines, decernens, quid pulchrum sit, quid deceat, quid honestum, & quidem absque utilitate, aut voluptate quæsita, ex eo constat, quòd quisque honestiora sua erga alios censeat officia, quo majore cum periculo suo, aut damno fuerint conjuncta, quoque minùs ad nominis sui celebritatem fuerant destinata, quodque ad aliorum honestas actiones, de quibus legimus, & audivimus, in seculis licet prioribus, pariter ac præsentibus laudemus; immo virtutem, fidem, patriæ suæ charitatem, licet nobis damnosam vel in hoste comprobemus. Quæ hoc sensu probantur, *recta* dicuntur & *pulchra*, ac *virtutum* nomine compellantur. Quæ damnantur, *foeda* dicuntur, *turpia* aut *vitiosa*. Huic sensui adânis est suavissimus ille sensus *laudis & honoris*, cum intelligimus consilia nostra & actiones sententiis bonorum hominum probari: cui contrarius est molestissimus vituperii sensus, dum actiones nostræ & consilia aliorum suffragiis dam-

na-



nantur. Atque his sensibus commoventur etiam illi, qui nullam aliam ex hominum comprobatione sperant utilitatem, neque ex censura incommodum timent. Immo de fama superstite solliciti sunt homines jamjam morituri, non minùs ac qui vitam sperant diuturnam. Hunc sensum à natura datum esse, satis docet ille animi motus naturalis, qui pudor, aut verecundia dicitur, vel in infantibus vultùs rubore sese manifestans. Hujusmodi sensus sunt initia quædam & quasi elementa virtutum, quæ uti pravis moribus aut perversis consuetudinibus non raro præfocantur, ita studio & exercitatione perficiuntur. Pertinent verò ad *intellectum moralem*, h. e. ad facultatem mentis cognoscitivam eorum, quæ ad mores spectant.

Intellectus *moralis* in duas partes dividitur, *syn.* <sup>90.</sup> *Con-*  
*terefim* & *conscientiam*: illa est primorum bene *Con-*  
vivendi principiorum cognitio, sic dicta à voce *Con-*  
græca *συντηρεῖν*, *conservare*, eoquod hæc prima *Con-*  
principia in mente semper conserventur, nec im-  
probissimi illa possint exuere. *Conscientia* verò est  
judicium actuale practicum dictans, quid in parti-  
culari agendum sit, vel omittendum, quidve fieri  
aut omitti debuisset. Hinc vel est *antecedens*,  
ubi de agendo deliberatur; vel *consequens*, ubi de  
præteritis est judicium. *Conscientiam* *Origenes* inc. 2.  
*ep. ad Rom.* ait esse veluti Pædagogum animæ sociatum,  
& rectorem, ut eam de melioribus moveat, vel  
de culpis castiget, & arguat. Ab aliis communi-  
ter definitur, quòd sit actus, sive dictamen, quo  
intellectus ex principiis generalibus Synterefeos ju-  
dicat de bonitate, aut malitia eorum, quæ sunt,  
vel omittuntur.

Con-